

Letter 260: 26 November 1525, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

The text of the letter is printed in Schiess 1, pp. 124-5, Ep. 98.

5 Gratia tecum. Video tibi cordi esse rem Christi, qui es tam sollicitus in promovendis exterorum ecclesiis. Exhilar[ar]unt me literae ad Betrotum nostrum, quae talem de te animum testantur. Gratia Deo, qui hoc seculo profligatissimo tales dederit apostolos. Iacobus Betrotus in nostro modo ordine est nostrae servitque reipublicae conditione licet infima, propediem meliore  
10 admovendus. Iccirco visum est nobis, ut hic subsistat, quo prosit huic ecclesiae, a qua non minima portio huius viciniae dependet. Verum gratiam habes, quod eius viri memineris; dignus est certe conditione amplissima, cui candore ingenii, eruditione, fide ac industria facile satisfaceret. Eiusdem propemodum venae est Ioannes Chelius, Graece pariter doctus et in re literaria haud mediocriter exercitus, quem in locum huius tuis amicis substituas, qui quidem tibi  
15 ac tuis non est dedecori futurus; nam literis summam animi moderationem coniunxit. Cuius opera institutis per senatum studiis fuissemus usuri; interim tamen hic Iacobus ecclesiasticae pariter functioni accinctus est, ad quod munus per intervallum temporis aegre tandem Chelius admoveri posset alioqui perquam idoneus scholis curandis, siquidem iam olim egregie ludimagistrum egit. Quare, mi Ambrosi, illum secure commendes eius loci amicis, quibus  
20 Betrotum pridem commendaveras; haud penitebit te operae; tantopere omnibus hic probatus est. Ecclesia nostra satis pergit gnaviter quietam ad anabaptistas et reliquos turbatores. Ad nullum enim elementum mundi salutem alligant. Eucharistia recordandae mortis obitae pro nobis argumentum est; in eum nos usum utimur nihil solliciti, quid includatur panis, quandoquidem verba nobis, non panis dicta novimus. Ridebit posteritas nostri seculi rixandi amorem, qui ob  
25 signum concordiae tantas turbas concitamus. Pomerano, viro certe modestissimo, nos respondimus obiter et monuimus hortatique sumus per Christum, ut consilia pacis ineant. Quid nobis sit relaturus nuncius, quem causa referendae pacis Witenbergam abmandavimus, nescitur; tu ex me rescies proximo nuncio. Friburgi Brisgaviae frigidum quendam libellum meum aboleverunt igne contumeliae causa, qui quidem tali honore indignus est; tot enim extant  
30 christiani libri. Atqui privatum odium quam publicum damnum hac via quidam ecclesiastici in me ulti sunt. Mitto eum libellum, ut stultorum hominum conatum ridere possis. Fratrem tuum optimum atque sororem meritissimam in Domino salvare iubeo, praeterea reliquos verbi commystas. Argem. 26. Novembris anno 1525. Tubingae quidam tibi fuit contubernalis in conventu Augustinianorum, tum Augustinianus, modo mihi comminister; is te ex animo salutatur, similiter Bucerus noster. Iterum vale.

V. Fabritius Capito, ex animo tuus.